



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

4. An ex bonis furtivis vel usurariis dari eleemosyna possit pro Bulla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

quorum incolae ritu Graeco viventes, tempore quadage-
simae, non solum abstinent, à lacticiis, sed etiam ex
suo ritu à piscibus sanguinem habentibus. Inquit iam,
an bulla (ut etiam quoad alia privilegia) proficiat.

Respondeo. Tum quoad dictum privilegium de lacti-
ciniis, tum quoad alia, prodest: quia etiam ipsi sunt
fideles, & in hoc regno, ubi bulla promulgatur, com-
morantur, nec est unde ipsi excipi debeant. Quare virtute
ipsius Bullae, licet illis committere lacticia, diebus
veritis, & per consequens, immo potiore ratione, pisces
sanguinem habentes, privilegium enim concedens lacti-
cinia, multo magis concedit pisces cuiuscumque gene-
ris, qui magis distant à carnibus, quam lacticia. Ita
Bardi in *Bull. par. 3. tit. 1. c. 2. sect. 1. n. 2. in 2. edit.*

§. III. Ex bonis sibi à Deo collatis liberaliter contulerit.

Tametsi in hac clausula non decernatur, quanta
debeat esse elemosyna porrigenda ab eo, qui
bullam sumere intendit, quia tamen Pontifex concedit,
eam debere decerni à Commissario, ideo eius taxae stan-
dam est. Verba Greg. XIII. à subsequentibus Pontifici-
bus confirmata haec sunt. *Item conceditur facultas com-
missario, ut dictam subventionis quantitatem à Fidelibus, ut
praedictur, pro Vivis, & Defunctis, iuxta personarum qua-
litatem, & bonorum quantitatem, arbitrari possit.*

At vero, quantum ipse decrevit? Respondeo. Pro
Indis, & Hispanis in India degentibus, pro quibus maior
quantitas decreta, vide Trullench. lib. 1. in *Bull. §. 1.*
aub. 2. Pro nostris regionibus (id quod scire, ad nos per-
tinet) Commissarius decrevit sequentem realem taxam.
Ita Trullench. *ibid.* Scito autem realem unum valere
unum tarenum monetæ Siculae, & grana quatuor cum
eiusdem grani quarta.

Pro Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus, Inquisito-
ribus, dignitatibus, & pro insignibus quibusdam perso-
nis, quas mox indicabimus §. 7. n. 4. elemosyna pro bul-
la vivorum est octo Realium Castellatorum, hoc est
monetæ Siculae, decem tarenorum, & granorum de-
cem.

Pro communibus personis: pro eadem vivorum
bullae, elemosyna duorum realium, hoc est monetæ
Siculae tarenorum, duorum & duodecim granorum cum
dimidio.

De elemosyna danda pro bulla lacticiolorum, quæ
Sacerdotibus favet, dicam infra c. 8. §. 5.

Videm danda pro bulla defunctorum, dicam c. 15.
§. 2. n. 8. Et pro bulla compositionis c. 26. §. 6.

His prælibatis multa sunt dubitationes hic enodon-
dæ, quas in sequentibus §. iam solvimus.

§. IV. An ex bonis furtivis, vel usurariis dari elemosyna
possit pro Bulla.

Quoniam Bullæ tenor habet, ut ex propriis bonis
eiusmodi elemosyna porrigatur dubitabis, quid
si ex bonis furtivis? hoc autem nomine intelliguntur
hic etiam usuraria.

Respondeo. Doctores fere communiter (præter
unum Rodriquez ap. Galleg. mox citandum) loquentes
hac de re, Acoſta, Vega, Trullench, Bardi, Mendo,
Macedo, Escobar, Diana, quos citat, sequiturque Gal-
legus, in *Bull. c. 14. dub. 182.* absolute, & sine ulla distin-
ctione docent furtiva pecunia sumi bullam non posse:
quia discretis verbis dicit Pont. fex (ex bonis sibi à Deo
collatis.) Adde hanc debere esse elemosynam: sed ex
D. Thoma, 2. 2. q. 32 & communiter, consistere elemosy-
na ex bonis laicis, non potest.

Vt hæc doctrina explicatius habeatur, sic distin-
guendum est. Si sermo sit de ipsa pecunia in individuo
furtiva, quando fur aliam propriam non habet, certa est
prædicta doctrina propter rationes optime iam allatas.

At vero quando fur aliam habet propriam quam

Pars III.

possit dare pro bulla, ipse tamen pro bulla furtivam det,
valebit bulla, quia tunc materiale quid est, dare hanc
furtivam cum iam cum illa fiat elemosyna æquivalen-
ter. Ita Bardi in *Bull. p. 2. t. 1. c. 1. b. sect. 3. n. 18.*

Praeterea si loquamur de pecunia furtiva, quæ fuerit
immixta cum alia propria furtis, ita ut discerni nequeat,
cum iam illa transierit, propter illam unionem & mix-
tionem, in dominium furis (ut dixi in *libris decalogi*,
tr. 3. c. 3. §. 4. n. 3.) potest utiliter ex illa dari elemosyna,
remanente semper ipsi furi onere restituendi id, quod
iniquè abstulit. Si ergo ex illa facere elemosynam valide
fur potest, valide consequenter cum illa bullam acci-
piet, unde & illius privilegii fruetur. Ita Mendo in *Bull.*
d. 4. c. 1. n. 6.

Huc facit casus sequens. Titius furatus est v. g. do-
cem bullas à depositatio, easque distribuit fidelibus, sive
pro elemosyna ordinaria duorum realium, sive minus,
retenta pro se pecunia, inquit an fideles, qui data
ea elemosyna accipiunt bona fide bullas, utiliter acci-
piant.

Respondeo accipere inutiliter, quia bullæ privilegia
conceduntur sub conditione elemosynæ dandæ Regi
in subsidium belli contra infideles, quæ elemosyna hic
non adest. Unde licet, dum bona fides durat possint
dicti fideles vsci v. g. lacticiis, tamen cognita veritate,
non poterunt. Quod si bona fide absoluti fuerint à reser-
vatis, esto propter bonam fidem absoluti ab ipsis indi-
rectè fuerint, at re cognita, debent eiusmodi peni-
tes de iisdem reservatis directam à legitimo confessorio
absolutionem obtinere. De his absolutis bona fide vide
multa à me dicta in *lib. de Sac. l. 5. de Penit. de Cas. res.*
c. 12. §. 2. n. 7.

§. V. An ex pecunia habita ex turpi lucro.

Meretrice v. g. habens pecuniam ex meretricio,
potestne cum hac bullam utiliter accipere?

Respondeo. Potest: quia quamvis illa peccaverit, dum
eas, medio peccato, lucrata est, tamen pecunia sua est,
suoque sub dominio, ut alibi satis explicuimus, ergo de
suo elemosynam illam dat, dictisque privilegiis bullæ
frui merito potest. Idem dic in similibus.

§. VI. An ex bonis creditis, vel ab alio datis.

Tres hic sunt casus: primus: Titius obtinet à Com-
missario bullam credito, hoc est, promittit Titius,
se post sex menses v. g. traditur elemosynam præscri-
ptam, utiliter ne bullam obtinet.

Respondeo, & primo quidem Dico, manifeste inuti-
liter, si habet animum eam elemosynam non tradendi,
quia sic nullam tribueret. At si ipso initio acceptionis,
animum habet tradendi (qui est casus propositus) Dico,
utiliter etiam pro his prioribus mensibus antequam pro-
missum solvat. Ratio est, quia id concedit Commissa-
rius Generalis apud Mendo *dis. 14. num. 4.* & merito obli-
gare enim se ad dandam elemosynam, elemosyna
est: Atque eiusmodi certe est communis praxis, idque
cum emolumento Regis, nam se multi bullam acci-
piunt quod non facerent, si numerato cogerentur pecu-
niam deponere.

Quod si quis habeat initio animum non tradendi, sed
post sex menses v. g. mutet voluntatem, velitque dare,
tunc sane à die, qua eiusmodi bonam voluntatem habet,
lucrati potest privilegia bullæ usque ad finem anni dura-
tionis bullæ, quia tunc iam legitime pro illis postero-
ribus mensibus bullam habet, quam legitime antea non
habebat, Ita Bardi *l. c. sect. 6.*

Contra, si initio habuit intentionem tradendi elemo-
synam, & postea transactis seu v. g. mensibus mutet vo-
luntatem, nolique elemosynam largiri, Dico à die
quo non elagiri proponit, non lucraturum privilegia,
quia hæc dantur sub conditione elemosynæ, quamvis,
P p propter